

EXAMEN CENSURÆ

Perperam  
τὸ Non  
peccare,  
qua phrasi Jo-  
annes utitur,  
exponitur a  
Censore de nō  
peccando ad  
mortem.

cando aded sint alieni animo, ut pænè non posse peccare dici pos-  
sint. An Joannes in Epistolâ sua ad hos respexerit, non est necesse  
ut prolixè ventilemus: Quin ad eos potissimum verba Joannis per-  
tineant, non est quod dubitetur, nec Censores ipsi diffitentur. At  
hoc tantum dicit Confessio. Solummodo hic notandum venit, ante-  
quam desino, suspectum esse quod Censor hic addit, per τὸ peccare,  
intelligi hoc in loco, *peccare ad mortem*, tanquam si Joannes dixisset,  
renatos non posse peccare peccato ad mortē, per quod vid. in mortē  
incidant, vel propter quod morte puniēdi sint. Sic enim non obscu-  
rè significat, fieri quidem posse, ut renati gravia & enormia pec-  
cata patrent, sed ea ipsa peccata efficere non posse, ut renati esse de-  
sinant, aut mortis non dico reatum, sed periculum incurrant,  
proinde eos etiam cum sic peccant, & in peccato hærent, Deum ni-  
hilominus ex toto corde diligere, & non peccare rectè dici posse;  
ex quo patet, quo sensu & cur phrasin istam ex toto corde, de sincer-  
itate tantum dilectionis intelligendam esse urserit. Cæterum, per  
τὸ peccare, *peccatum ad mortem* hic intelligi, vanissimum est, uti pro-  
lixè id à nostris, pluribus in locis, demonstratum est, & suo loco eti-  
am a nobis demonstrabitur. Scopus Apostoli id solidissimè confu-  
tat, qui est dehortari regenitos hos a peccando. Quis verò aded fa-  
tuus erit, ut, dum serio aliquos a peccando dehortari vult, iis, quos  
dehortatur, persuasum esse velit, fieri non posse ut peccent? Nam,  
si per *peccare*, utrobiq; intelligatur *peccare ad mortem*, absurditas hiat  
pleno rictu; videte ne peccetis ad mortem, filioli, nam non potestis  
ad mortē peccare: Si verò per τὸ peccare, quod in adhortatione est,  
intelligatur aliud peccati genus, quam peccati ad mortem, in ratio-  
ne verò addita intelligatur peccatum ad mortem, tum simul etiam  
vanitas aperta est. Nam quæ ratio illa erit, videte ne peccetis pec-  
cata non ad mortem, nam ad mortem non potestis peccare? Nulla  
hic ratio est. Per modum prolepsios aut anticipationis id ab Apo-  
stolo dictum credi posset: At, pro ratione ut dictum putetur, absur-  
dissimum est. Præterquam enim quod ratio non sit, etiam adhorta-  
tionis ipsius vim omnem enervat atq; evertit. Nam quæ vis dehor-  
tationis a peccando, si τὸ peccare sine periculo mortis esse affirmetur?  
Frustra est. Sed hac de re pluribus & propriè in censura cap. xviiij.

Quæ porrò ad hanc sectionem dicuntur, eò spectant, ut doceat  
Censor non simpliciter verum esse renatos non laborare cōsuetudi-  
ne peccandi: *Concedimus* (inquit) *non gravatè habitus peccati acquisi-  
tos & speciales, quibus certa & definita peccati species hominibus quibus-  
dam*